Nobilissimo clarissimoq. viro
D. Constantino Hugenio Eq. Zulichemi
et Zeelhemi Domino &c.
Caspar Barlæus S.P.D.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissime Vir,

non possum in publico Domus Auriacæ gaudio, post aliorum applausus et gratulationes silere. licet serius fortè loquar et post festum. Acceperam Hagâ ab amicis nuptias protractas iri in sacros Natales. Excusavi moram Epigrammate ad Principem Brandeburgicum. cui si Tu quoq. faciles voces commodare velis, feceris mihi rem gratissimam et quæ deceat pectus istud tuum generoso honesto percoctum. Audeo à Te petere ob veterem amicitiam, qua nondum excidi, ut pro me deponere apud summos Principes non graveris, illos nempe ad quos hæ chartæ pertinent. Exemplar unum optem exhiberi Marchioni Brandeburgico, unum Principi Auriaco, unum Principi Guilielmo. Unum Tibi habe. duo reliqua illi auferant, qui Pr. Brandeburgico à secretis & consilijs sunt, quos me melius novisti. Addidi exemplaria aliquot veste chartaceâ induta. eorum unum habeat filius D. Constantinus, unum D. Bruno. In carmine non iam paginam facit Venus Britannica sed Vandalica. non Tamesis, non Britannus, sed Viadrus, Vistula, Cassubius, Rugus aliaq. istarum terrarum ad mare Balticum nomina. Polypi sumus, cui scopulo postremum adhaerescimus, eius colorem imbibimus. Hoofdius cum febricula diu luctatus convaluit. Tessela præter sacra nihil loquitur vel scribit. Virgilium Vondelij legisti, aut vidisti saltem. verum exanguem exsuccum, elumbem. Si legeret Augustus, eum vindicaret hunc Maronem à flammis, nisi quid tu docte probati dissentis. Me editio Historiæ Brasilianæ occupat, quæ iam carceres mordet. Vale Vir maxime et patere supplicationes tibi denuo fieri à minorum gentium homine, sed in cultum tui et amorem propensissimo.

Amstel. xiv Dec. cIↃIↃcxLvI.

Nobil. Tuæ
observantissimus
Caspar Barlæus.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 178
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4498

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 178
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4498

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 178
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4498

A de mijn Heere
mijn Heere Constantinus
Huijgens Ridder, Heere van
Zeelhem ende Zuijlichem, Raedt
ende Secretaris van sijn Hoocheit

Hage